culo unico in centro Sphæræ primæ, & propterea proportionalis eſt diſtantiæ inter centra Sphærarum. Q. E. D.

Caſ. 4. Trahant Sphæræ ſe mutuo, & vis geminata proportionem priorem ſervabit. Q. E. D.

Caſ, 5. Locetur jam corpuſculum *p* intra Sphæram *ACBD*, & quoniam vis plani *ef* in corpuſculum eſt ut contentum ſub plano illo & diſtantia *pg*; & vis contraria plani *EF* ut contentum ſub plano illo & diſtantia *pG*; erit vis ex utraq; compoſita ut differentia contentorum, hoc eſt, ut ſumma æqualium planorum ducta in ſemiſſem differentiæ diſtantiarum, id eſt, ut ſumma illa ducta in *pS*, diſtantiam corpuſculi a centro Sphæræ. Et ſimili argumento attractio planorum omnium *EF*, *ef* in Sphæra tota, hoc eſt attractio Sphæræ totius, eſt ut ſumma planorum omnium, ſeu Sphæra tota, ducta in *pS* diſtantiam corpuſculi a centro Sphæræ. Q. E. D.



Caſ. 6. Et ſi ex corpuſculis innumeris *p* componatur Sphæra nova intra Sphæram priorem *ACBD* ſita, probabitur ut prius, quod attractio, ſive ſimplex Sphæræ unius in alteram, ſive mutua utriuſq; in ſe invicem, erit ut diſtantia centrorum *pS*. Q. E. D.

Prop. LXXVIII. Theor. XXXVIII.

Si Sphæræ in progreſſu a centro ad circumferentiam ſint utcunq; diſſimilares & inæquabiles, in progreſſu vero per circuitum ad datam omnem a centro diſtantiam ſint undiq; ſimilares; & vis attractiva puncti cujuſq; ſit ut diſtantia corporis attracti: dico quod vis tota qua hujuſmodi Sphæræ duæ ſe mutuo trahunt ſit proportionalis diſtantiæ inter centra Sphærarum.

De-

Demonſtratur ex Propoſitione præcedente, eodem modo quo Propoſitio LXXVII. ex Propoſitione LXXV. demonſtrata fuit.

Corol. Quæ ſuperius in Propoſitionibus X. & LXIV. de motu corporum circa centra Conicarum Sectionum demonſtrata ſunt, valent ubi attractiones omnes fiunt vi Corporum Sphæricorum, conditionis jam deſcriptæ, ſuntq; corpora attracta Sphæræ conditionis ejuſdem.

Scholium.

Attractionum Caſus duos inſigniores jam dedi expoſitos; nimirum ubi vires centripetæ decreſcunt in duplicata diſtantiarum ratione, vel creſcunt in diſtantiarum ratione ſimplici; efficientes in utroq; Caſu ut corpora gyrentur in Conicis Sectionibus, & componentes corporum Sphæricorum vires centripetas eadem lege in receſſu a centro decreſcentes vel creſcentes cum ſeipſis. Quod eſt notatu dignum. Caſus cæteros, qui concluſiones minus elegantes exhibent, ſigillatim percurrere longum eſſet: Malim cunctos methodo generali ſimul comprehendere ac determinare, ut ſequitur.

Lemma XXIX.

Si deſcribantur centro S circulus quilibet AEB, (Vide Fig. Prop. ſequentis) *& centro P circuli duo EF, ef, ſecantes priorem in E, e, lineamq; PS in F, f; & ad PS demittantur perpendicula ED, ed: dico quod ſi diſtantia arcuum EF, ef in infinitum minui intelligatur, ratio ultima lineæ evaneſcentis Dd ad lineam evaneſcentem Ff ea ſit, quæ lineæ PE ad lineam PS.*

Nam ſi linea *Pe* ſecet arcum *EF* in *q*; & recta *Ee*, quæ cum arcu evaneſcente *Ee* coincidit, producta occurrat rectæ *PS* in *T*; & ab *S* demittatur in *PE* normalis *SG*: ob ſimilia triangula *EDT*, *edt*, *EDS*; erit *Dd* ad *Ee* ut *DT* ad *ET* ſeu *DE* ad

ES,

SIR ISAAC NEWTON *Philosophiae Naturalis Principia Mathematica* LONDON, 1687 THE WARNOCK LIBRARY Octavo